

*quest. pol. Ioan Gerhard. dec. 7. p. 3. respectivè autem propter instans periculum & magnam militum penuriam etiam illis adiungat milites extraneos: ita tamen ut vires, auxilia & robur exercitus, sint ex incolis, nec Corpus exteri faciant: sed membrum: nam id cavendum semper providis ducibus, exemplaq; vetera pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumq; propriè virium in castris habeant, verba sunt Lipsij d.l. polit. p. 289. nam qui freti externorum auxiliis, defectiones magnas sunt experti, ut Scipiones in Hispania Liv. l. 35. Syphax Rex apud eundem lib. 30. Pompeiani in bello Pharsalico & alij quos recenset Melch. Iunius d.l. pol. p. 151.*

## Questio II.

Prudens cur sine historiarum studio non esse possit?

Non inelaganter orator Atticus & crecopiæ facundiæ parens Demosthenes viro prudenti tria assignat officia I. ut Prætorum meminerit, cum sit circa res omnium singularissimas magis, quam ulla virtus alia atq; adeò circa res infinitas, ad quas magno certe iudicio, & quidem ex temporario, cognoscendas opus habet Keck in disp. pract. p. 38 quest. 7. quod certè iudicium, cum ipsius vita in mundi primordiis & quæ ista paulo post consecuta sunt tempora non fuerit, per propriam observationem & experientiam ipsi comparare est impossibile: nisi historias à multis seculis originem trahentes adiungat: sunt enim illa quæ in historiæ monumentis conservata sunt æterna, eò quod non solum ignota referant & nota faciant: sed etiam labilis ac fluxæ nostræ memoriæ infirmitatem confirmant Ioan. Fung: in lex. Ethym. p. 364. unde à Cic. in orat. testis temporum, veritatis lux, vita memoriæ, & magistra vitæ nuncupatur II. ut præsentia agat, prout rerum ac temporis varietas exigit, se etiam ita accommodet, ne se in aliquibus mutet: sed potius temporibus aptet: sicut manus quæ eadem est cum in palmam extenditur & cum in pugnum adstringitur Seneca de quatuor virt: III. ut futura carveat quod fit, si cum præteritis & præsentibus comparet: siquidem ex uno inferatur alterum. Ob duplicem igitur causam prudenti tribu-